



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Articvlvs XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

ARTICVLVS IX.

*Vtrum ea quæ videntur in Deo à videntibus
diuinam essentiam per aliquas simi-
litudines videantur.*

*Grati videt
creaturs in
Deo non per
simil. sed per
speciem ipsa
videtur per propriam sui speciem, vel per essentiam
diuinam in-
ter specie-
bus intelligibilis.*

ARTICVLVS hic ex dictis articulo 2. atque articulo præcedente satis intelligetur. Id enim, quod videtur secundum se ipsum, essentia ipsa videtur per propriam sui speciem, vel per essentiam diuinam cōcurrentem ad modum speciei intelligibilis, si quantum satis est, coniuncta sit & accommodata intellectui: quod verò videtur in alio non videretur per propriam speciem, sed vel per speciem alterius, in qua videtur, vel per essentiam alterius concurrentem ad modum speciei intelligibilis. Creature ergo quæ visione beatifica videntur in Deo, neque videntur per proprias species, neque per speciem Dei, quippe cum Deus ipse non videatur per speciem: sed videatur per diuinam essentiam ad modum speciei intelligibilis se habentem ad visionem Dei.

Hoc loco in argumento sed contra, & clarius in seruus quæst. 14. artic. 5. docet D. Thomas, per speciem speculi videri rem in speculo repræsentatam. Contrarium tamen ex Philosophia & perspectiva constat, nempe distinctam esse speciem, qua videtur speculum, ab ea, per quam videtur res in speculo repræsentata. Speculum namque videtur per propriam speciem, vt D. Thomas ait, & constat, quando videtur, antequam à tergo nostro existat res, qua in eo repræsentetur: ea verò accende, illa emittit propriam speciem in speculum, qua mediante, in ea repræsentatur, atque appetit, & ab illa producitur alia in oculum, qua simul videtur tum species obiecti, qua appetit in speculo, tum etiam obiectum ipsum. Itaque per eandem speciem productam in oculum, & videtur species obiecti, qua appetit in speculo, & videtur obiectum ipsum, atque ita obiectum ipsum non videtur in se, sed in sua imagine, qua appetit speculo impressa: speculum tamen videtur per distinctam speciem, ea, qua videtur obiectum, quod in eo repræsentatur. Fortè illud primum, quod instituto inferuerat, voluit dicere hoc loco D. Thomas, & quæ 14. artic. 5. quamvis verba ipsius aliud significent.

Hæc dicta sunt iuxta vulgi opinionem, existimantis in speculo esse speciem obiecti habentem partem extra partem extensam in repræsentando obiectum ad extensionem speculi, quasi in una parte speculi repræsentetur caput Petri è regione existentis, & non pectus, neque alia membra: in alia verò repræsentetur pectus, & non caput, &c. atque in specie verè ita terminante aciem visus, vt re immodicè visu confecta, mediatè conspicatur viterius Petrus, qui à tergo nostro existit. Iuxta veram namque Philosophiam longè aliter dicendum est, ac vulgus opinatur: in libris enim de anima ostendimus, in singulis punctis speciei repræsentari totum Petrum, quoad omnes suas partes, à quibus ad singula puncta speculi licet lineam rectam ducere, qua non attingat corpus opacum interiectum: & ideo in singulis punctis speculi esse integrām speciem Petri in repræsentando totum obiectum, atque à singulis punctis fieri reflexionem illius speciei in oculum, nō sicut decipi, dum Petrum ipsum, qui oculis appetit in speculo, opinamur esse imaginem Petri habentem partem extra partem in repræsentando: non enim Petri imaginem, qua suapte natura inui-

scibilis est, & extra obiectum visus, intuimur, sed Petrum ipsum per eius speciem reflexam in alieno loco, vbi re vera non est, videlicet ultra speculum: è regione nobis apparentem conspicimus, fallaci nihilominus visione. Neque hæc est singularis nostra opinio, sed multorum qui in perspectiva & Philosophia habentur doctissimi. Verum de hac re suo loco, interim tamen vulgariter loquemur, & quæst. 14. artic. 5. & quæries occasio se obrulerit.

Hoc loco circa responsionem ad 2. D. Thomæ disputari poterat, an in Paulo post raptum manferit fides: quia tamen commodiorem locum habet ea disputatio 1. 2. quæst. 67. idcirco in eum locum eam relinquemus.

ARTICVLVS X.

*Vtrum videntes Deum per essentiam, simul
videant in eo omnia, que in
ipso vident.*

CONSENT VEX in hoc articulo dici poterant, dicta sunt articulo 8. disputatione penultima, inter examinandum tertium dubium ibi propositum, & disputatione ultima. Circa quæstionem autem illam, qua hoc loco poterat excitari, vtrum possimus intelligere simul plura per modum plurium, sat sint quæ diximus 1. Post. cap. 1. vbi partem affirmantem iudicauimus probabilem. Ea etiam de re sermo erit in materia de Angelis.

ARTICVLVS XI.

*D*IVITIUM VEX aliis in hac vita posse videre Deum per essentiam.

DISPUTATIO I.

PRÆPOSITA quæstio intelligitur de puro homine: Christus namque in hac mortali vita Deum videbat per essentiam. Præterea, sensus quæstionis non est, vtrum per vires naturæ possit homo in hac vita videre Deum per essentiam. In eo enim sensu pars, qua negat, definita fuit articulo 4. Neque item sensus quæstionis est, vtrum per potentiam Dei absolutam, id est, vtrum per potentiam Dei ab solutam, id est posse: nullus namque de parte, qua affirmat, dubitare potest. Ut enim Deus humanitati Christi id contulit, ita potentia sua absolute idem conferre potuit puro homini, & D. Thomas in responsione ad secundum concedit, Moysen & Paulum in hac vita vidisse Deum per essentiam. Sensus itaque quæstionis est, an de lege communis, & de potentia Dei ordinaria, possit quis in hac vita videre Deum per essentiam. In quo sensu definit Diuinus Thomas partem negantem, que est de fide, vt patet ex illo Ioan. 1. *Deum nemo vidit umquam. Et Exod. 33. Non videbit me homo & vivet.* Ratio autem, quam hoc loco adducit D. Thomas, solidum huius rei congruitatem ostendit.

Contra signum illud, quod hoc loco adducit D. Thomas, nempe quod quod anima plus abstrahitur à corporalibus, eadem capacior redditur intelligibilium abstractorum, vnde per insomniæ & alienationes à sensibus corporis magis diuinæ revelationes percipiuntur & prævisiones futurorum, obiicit Scotus in

QUESTIONIS
SENSUS.

*Videre non
potest homo
in hac vita
Deum de le-
ge ordinaria,
secus autem
de potentia
Dei abso-
luta.*

Obiectio
scot.

Responsio.
Reuelatio-
nes quoad
approben-
sionem, no[n] quoad
indiciu[m], ap-
tius in sone,
quam in vi-
gilia susci-
piuntur.

in 4. dist. 45. q. 2. quia si somnus esset dispositio ad melius suscipendas reuelationes, maior & profundior somnus esset major ac melior dispositio: quod ramen constat esse falsum.

Ad hoc argumentum neganda est consequentia: sicut enim moderata abstinentia conferit ad contemplationem, immoderata vero obest: ita somnus qui relinquit vires sentientes internas solutas ac liberas ad operandum, conferit non quidem ad iudicandum, ut prob[us] hoc loco notat Caietanus, sed ad suscipendas reuelationes, quatenus tunc est minor distractio circa alia obiecta, & animus in seipsum magis collectus: immoderatus vero & profundus somnus, cum liget vires internas, nihil conferit, sed potius susceptionem reuelationum impedit. Vnde licet Iacob visionem scalæ in somnis accepit, vt habetur Genef. 28. Scriptura tamen ibidem innuit, plenum iudicium eorum, que in somnis illi ostenta sunt, non prius habuisse, quam a somno vigilavit: enigmas namque dixit, vere Dominus est in loco isto, & ego nesciam.

DISPUTATIO II.

Viximus Moyses & Paulus in hac vita viderint diuinam essentiam.

Parten, qua affirmat, amplectuntur D. Thomas hoc loco ad 2. & 2. q. 175. q. art. 3. D. Augustinus 12. super Genesim ad literā cap. 27. & 28. & in libro de videndo Deum, qui est Epist. 112. ad Paulinam cap. 12. Durandus in 4. d. 49. q. 6. & 3. q. prologi, Sotus in 4. dist. 49. q. 2. art. 4. & aliqui alii ex Scholasticis. Idem de Moyse affirmant Bailius in principio Hexameron homil. 1. & Ambrosius lib. 1. Hexameron cap. 2. in 4. tomo.

Moyse vi-
dide diu-
nam essentiam
Ut igitur videamus quid haec in re sentiendum sit, in primis de Moyse, deinde de Paulo disputabimus. Quod ergo ad Moysem attinet, probari potest hæc sententia ex illo Numer. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnum loquar ad illum: at non talis seruus meus Moyse, et non ad os loquor ei, & palam, & non per enigmata & figuratas, Dominum vident: videre autem Dominum palam, & non per enigmata & figuratas, & loqui Dominum cum eo ad os, est videre diuinam essentiam.

Confirmatur, quia Exod. 33. promiserat ei Dominus, Ego ostendam vobis omne bonum, id est, me ipsum, in quo continetur omne bonum: cum ergo illud tunc non impluerit, sed quod noluerit illi tunc ostendere faciem suam, fit, ut postea illud impluerit, ut innuit Numer. 12. dum dicitur, palam, & non per enigmata & figuratas, Dominum vident.

His tamen non obstantibus, sit prima conclusio. Licet improbabile non sit (maxime propter autoritatem Sanctorum qui citati sunt) Moyse vidisse diuinam essentiam, probabilius tamen, & consonanter Scripturi videtur oppositum. Et quidem, quod Moyse diuinam essentiam non viderit, affirmant Dionysius 4. cap. celestis Hierarchia, ubi docet, nullum Patrum veteris legis, neque etiam Moyse, vidisse Deum per essentiam, idque probat testimonio Scripturarum assertorum, quod occultum est Dei, vidisse, et visum esse neminem, sed tantum ait eos vidisse similitudines quasdam & imagines pro ipsorum captu. Et i. cap. de mystica Theologia de Moyse ait. Cum Deo quidem versabatur, vidit tamen non ipsum, neque enim cerni potest. Chrysostomus homilia 14. super primum caput Ioannis, Theo-

A phylactus in illud Ioannis. 1. Deum nemo vidit umquam. Cyrilus Alexandrinus libro 1. super Iohannem capite 22. Irenaeus 4. lib. aduersus heres Valentini capite 37. Hieronymus in priori Epistola ad Damatum circa expositionem primæ visionis Iohanna 6. capite quæ habetur 3. tomo operum Hieronymi, & 3. libro contra Pelagianos prope finem, tom. 2. Eusebius Papa tomo 1. Conciliorum Epistola 1. ad omnes Episcopos Africanos, Gregorius Nyphus de vita Moyseos, prope medium, Bernardus sermon 2. in rami palmarum, ubi ita ait. Quantum ad plenam visionem nec ipse Moses dum vineret in hoc mundo impetrare potuit facie ipsius visionem: quia sicut ipse ait, Non videbit me homo & vici. Idem docet fermone 31. & 34. super Cantico. Magnus Gregorius 18. Moralium cap. 37. licet cap. 38. addat, quod si forte aliquis in hac vita vidi diuinam essentiam, id non repugnat dictis Scripturæ, quia vidit postquam erat mortuus mundo & concupiscentiis. In quo Augustino locis citatis non repugnat. Aduerte tamen in excusione Parisiensi anni 1571. hac omnia haberib. 18. Moralium cap. 18. In eadem sententia sunt Nicolaus Grandis in Epistola ad Romam sub finem c. 10. Caietanus Exod. 33. & Numer. 12. Catharinus in secundam Epistolam ad Corinth. c. 12. & in eamdem inclinat Abulensis Numer. 12. q. 34. asseritque hanc esse communem sententiam Hebraeorum. Augustinus etiam licet, quod paulo ante diximus, dubius magis quam certus innuit locis citatis, tractauit tamen 3. super Iohannem in illa verba, Deum nemo vidit umquam, scilicet ut videt Angelum. Et deinde pluribus verbis explicat, non vidisse diuinam essentiam. 2. etiam de Trinitate cap. 16. ait: Moyse non vidisse diuinam essentiam: quoniam cap. 17. subiungat similia verba illis, quæ Gregorius subiunxit retulimus.

Confirmatur præterea haec sententia primò. Quia cum Moyse Exod. 33. petisset a Deo, Ostende mihi faciem tuam: Respondit illi Deus. Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vici. Et paulo inferius. Posteriora mea videbis: faciem autem meam vide non poteris. Secundò, quia Iohannes constitutus cap. 1. discriberet inter Moysem & Christum, cum præmisset, lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est (quibus verbis latum discriberet inter ministerium Moyseis & Christi) quasi rationem reddens subiungit, Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius, qui est in fine Patri, iste enarravit. Vbi clare affirmasse videtur, neque Moysem neque alium hominem ante Christum, vidisse diuinam essentiam, eaque ratione mirandum non esse, quod ministerium Christi tanto pere excelluerit ministeria Moyseis & aliorum Prophetarum, nullusque corum tanto lumine veritatis Ecclesiam illustraverit, quanto Christus eam perfuderit. Iohanni etiam 6. ait Christus. Non quia Parentem vidit quisquam nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem. Tertiò quia Paulus 1 ad Timoth. 6. de Deo dicit: Quum nullus hominum vidit.

F Ad locum ergo illum Numer. 12. dicendum est, loqui ibi Deum per Prophetis illius temporis, aut paulo post futuris, constitueretur discriberet, quod Moyse palam & sine enigmate videbat Deum, hoc est, Angelum, qui in effigie corpora Dei personam referebat, eaque ratione dicebatur Deus loqui ore ad os cum Moyse tamquam amicus cum amicorum vero quod Moyse videbat diuinam essentiam. Genesios namque 32. eadem ratione dixit Iacob, Vidi Dominum facie ad facie, & salua facta est anima

Conformatu.

Prima con-
clusio.
Moyse non
vidisse diu-
nam essentiam
probabiliter
& literis fa-
cias confor-
mantur.

anima mea: & tamen constat non vidisse essentiam diuinam, sed Angelum in effigie corporea, qui personam Dei gerebat, quo cum luctatus est Iacob. Exodi etiam 33, prout dicitur, *Loquebatur Dominus ad Mosen facie ad faciem*, sicut solet homo loqui ad amicō suum: & postea narrat Scriptura, Moylen ita familiariter cū Dōlo loquentē petuisse à Dōlo, vt sibi ostenderet faciē: Deumque id illi denegasse quādū in carne viueret mortali. Illis etiam verbis Nūmer. 12, quod Deus cum Moysē palam, & non per angmata & figurā loquebatur, significatur supremum gradum prophetiae illi collatum fuisse, quod scilicet sine figuris sensibilibus, & imaginibus in phantasia impressis diuinās illustrationes ac reuelationes accepit.

Ad confirmationem dicendum est, illud propositum fuisse implendum, non in hoc saeculo, sed in futuro.

Quod verò attinet ad D. Paulum, aliqui eorum qui negant Moylen vidisse diuinam essentiam, affirmant Paulum in raptu eam vidisse. Atque ad hanc sententiam inter alios videtur accedere Nicolaus Grandis loco citato ad finem totius capituli, & Chrysostomus hom. 26. in epist. 2. ad Corinth.

Si illi vidisti diuinam ejus essentiam, sed non fuisse primi

Suaderi verò potest hac sententia primō: Quia Paulus 2. ad Corinth. 12. affirmit, se raptum fuisse visque ad terrum celum, & visque ad paradisum: nomine autem paradisi, non intelligit terrestrem, sed visiōnem diuinā essentiā, iuxta illud Luce 23. Christi ad latronem, *Hodie mecum eris in paradiſo*, id est, mecum videbis diuinam essentiam, non in celo, sed in limbo, vbi eris mecum.

Secundō, quia dicit se audisse arcana verba, hoc est, ineffabilia, que non licet homini loqui: hec autem, vt 2. 2. argumentatur D. Thomas, videntur esse quae pertinent ad visionem beatorum, quae statim huius vita excedunt.

Tertiō, quoniam Actorū 26. dicitur: *Ad hoc apparui sibi, ut constituant te ministru m & testem eorum, que audisti & qua vidisti*: constitutus est autem telsis & minister prædicationis mysterij sanctissimæ Trinitatis: ergo vidit mysterium sanctissimæ Trinitatis, ac proinde diuinam essentiam.

Accedit, quod testimonia illa citata, *Non videbit me homo & viuet*. & *Deum nemo vidit unquam*, non tam virgē de Paulo, quam de Moyse. Paulus namque de raptu suo ait, *Sive in corpore, sive extra corpus nescio*: quod si extra corpus erat anima Pauli in illa temporis mora, quia fuit raptus, iam non erat homo, neque erat degens in hac mortali vita, tametsi ad eam esset reditus. Præterea, esto esset in corpore, non videbat animalia vita, quandoquidem neque exercebat, neque poterat exercere in eo statu operationes animæ sentientis. Quidam autem interpretantur illa loca de homine viuente, hoc est, potente utrī operationibus partis sentientis.

His etiam accedit Patres suprà citatos, qui negant Moylen vidisse diuinam essentiam, nihil de Paulo fuisse locutos. In noua præterea lege maiore in esse manifestationem Dei, quam fuerit quondam in veteri lege.

Sit tamē secunda conclusio. Probabilius, consontantiusque est Scriptoris sanctis & dictis Patrum, neque Paulum diuinam essentiam vidisse. Hac inter alios affirmat Carbarinus in Paulū 2. ad Corint. 12. probat & Licet autem Patres suprà citati nullam mentionem fecerint de Paulo, plures tamen eorum viuissent negant aliquem in hac vita vidisse diuinam essentiam. Potest etiam confirmari conclusio, quoniam Deus Eod. 33, viuissent dixit, *Non videbit me homo*,

A & viuet. Præterea, quando Ioannes scripsit Euangelium, iam præcesserat raptus Pauli: nam Ioannes, autore Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis, *ultimo omnium Euangelistarum scripsit Euangeliū*, pōst raptum Pauli, qui quatuordecim annos cōtigerat antequam scriberet secundā epistolam ad Cor, & nihilominus Ioannes viuens ait: *Deum nemo vidit unquam*. Item quando Paulus scriptit ad Timotheū, præcesserat raptus: & tamen de Deo dicit: *Quem nullus hominū vidit*: quod planè non affirmaret, si ipse in raptu diuinam essentiam vidisset, maximè cū dubitauerit, an in raptu anima ipsius fuerit in corpore, ac proinde an ipse tunc fuerit homo.

Accedit, quod visio diuinā essentia suapte natura, neque indiget separatione anima à corpore, neque alienatione a sensibus, vt patet in Christo, tum viatore, tum etiam puro comprehensore, & in cæteris beatis pōst resurrectionem corporum: quin potius miraculū esset, quod quis in carne diuinam essentiam videret, & vt non posset sensibus, neque experiretur, an sua anima esset tunc in corpore, an non: quare cū Paulus in raptu neque sensibus viceretur, neque experiretur suam animam esse in corpore, signum est apertum, reuelationem illam non fuisse visionem diuinæ essentiæ, sed cognitio nem alterius rationis atque speciei.

E Vt autem huius rationis vim melius intelligas, animaduerte, lumen gloriae adeo nobile esse, & vt que adeo eucnere intellectum beati, sive in transiitu, pēr modum habitus communicetur, vt esto anima corpori sit unita, independentem illum à phantasmis in sua operatione efficiat, præsertim quoad visionem ipsam beatificam, quæ de eo obiecto est, cuius nullum phantasma esset potest, ed quod sensus internus incapax sit notitiae rei mere spiritualis, qualis est Deus, ut beatifica visione conspicitur. Quia ergo visio beatifica ratione luminis gloriae proficisciatur ab intellectu operante independenter à phantasmis, quin potius necessiter habet speculata phantasma propter unionem animæ cum corpore in vita mortali, inde fit, ut licet quædam reuelationes, & illustrations magnificæ: quæ in vita fiunt, impediant vñum sensuum exteriorum ob vim magnam, q̄a virtes sentientes internæ ad eam cognitionem attendunt, dum simul cooperantur, & phantasma subministrant (id quod in causa est ut spiritus sensitivū à viribus externis ad vires internas auocentur, extasiisque fiat) visio tamen beatifica nec internorum, nec exterorum sensuum operationem impedit, sed magna cum tranquillitate corporis fiat. In Christo ergo viatore, & comprehendente simul, miraculum quidem fuit, quod à gloria animæ gloria corporis non redundaret, eo tamen ipso, quod continebatur ne redundaret, nullum erat miraculum, quod Christus tam externis, quam internis sensibus viceretur.

F Solet etiam conclusio confirmari, quoniam Paulus non dicit se in eo raptu vidisse, sed audiuisse arcana verba: audire autem pertinet ad fidem: videre verò ad visionem. Sed hæc ratio nullius est momenti: Christus namque affirmit, se audituisse & didicisse à Patre: quod nullo modo potest dici pertinere ad fidem, sed ad visionem: sicut ergo locutio est per intellectum, ita visio intellectus auditio dicitur.

Ad primum ergo in oppositum dicendum est, raptum fuisse in paradisum, hoc est, ad consortium oppositum.

viden

Visio beatifica, etiā si in transiitu in hac vita cōmunicatur, nō impediret suapte natura vñi sensuum exteriorū, aut internorum.

Paradisus ad videntium diuinam essentiam, fuisseque inter illos: quæ Paulus fuit raptus, quisna fuit.

non tamen vidisse diuinā essentiam. Interdum enim viatores maximè familiares, atque amici Dei eue-
hantur in aspectum beatorum, interim illis non ostensa diuina essentia per claram visionem. Nomi-
ne autem tertii cœli, vel intelligit Paulus cœlum empyreum, eo quod in Scriptura trium cœlorum fit mentio, aërei videlicet, firmamentis, & cœli, vbi
videtur Deus, quod est empyreum, vel intelligit.
Angelos tertie Hierarchie, ad quorum confortum
raptus sit, vel Angelos tertij ordinis. Alij alias tra-
dunt interpretationes, quas videat poteris apud D.
Thomam 2.2. quæst. 17. art. 3. ad quartum.

Ad secundū. Ad secundum dicendum est, infra visionem be-
atificam, sèpè Deum multa ineffabilia hominibus re-
vealare.

Ad tertium. Ad tertium dicendum est, in apparitione illa, de
qua Actorum 26. est sermo, Paulum vidisse Chri-
stum mortui suscitatum ac gloriosum, quem vi-
derat prædicantem, & fortè morientem: atque hu-
ius rei portissimum fuisse constitutum testem, alia-
rumque quas tunc videbat: non tamen mysterij san-
ctissima Trinitas, quasi illius esset testis ocularis.
Pauli raptus quando fuit. Verisimile autem est, raptum Pauli vsque ad ter-
tium cœlum non fuisse tunc, sed vel postea in illo
triduo, quando neque comedit neque bibit, vel
paulo post. Quando enim Christus illi apparuit,
dum iret Damascum, socii audiebant vocem lo-
queris cum Paulo, & responsa Pauli, neque est
probabile Paulum potuisse dubitare, an tunc sua
anima fuerit in corpore, vt de eo dubitabat pro
tempore sui raptus in tertium cœlum.

Ad quartū. Ad id vero, quod vterius additur, iam explicatum est, loca illa vrgere etiam de Paulo: maximè
quia, cum dubius esset de sua anima, virum in cor-
pore fuerit, numquam asservisset nullum homi-
num vidisse Deum. Rationibus etiam ostensum est,
raptum illius non fuisse visionem diuinæ essentia.
Expositio autem ea locorum illorum, quod intelligantur de homine, ad eum sensum vivente vita ani-
mali, quod vtrum sensibus, planè vim infert Scri-
ptura, vt intuenti est manifestum.

Ad quintū. Ad id denique, quod de maiori manifestatione
Deini noualeg additur, dicendum est, id quidem
verissimum esse: sed non necessariò inde sequi, Pa-
ulum diuinam essentiam in raptu intuitum fuisse.

Moyen &
*Paulum vi-
disse diuinā
essentiam, qua-
ratione de-
fendendum.* Qui vero propter authoritatem Augustini & D.
Thomæ, quibus non refutatur Gregorius, voluerit
defendere Paulum vidisse diuinam essentiam, ex-
ponat loca citata Scripturae sacrae modo, quo su-
prà diximus ab eisdem Patribus exponi. Atque ad
illud Pauli, *Quem nullus hominum vidit*, respondere
poterit, intelligendum esse, viribus naturæ subiun-
git enim Paulus, sed neque videre potest, quod intelligendum est, viribus naturæ. Quamquam aptior
fortè exppositio sit, vt intelligatur, lege ordinaria.

ARTICVLVS XII.

*Virum per rationem naturalem Deum in hac
vita cognoscere possumus.*

Dicitur q. 2. in calce articuli 3. facile erit intel-
ligere tria esse nominum genera, quæ in signifi-
catione propria, hoc est, non translativa, Deo con-
uenient: id quod D. Thomas innuit articul. 2. se-
quenti, atque ex Dionysio de diuinis nominibus
tradunt Scholastici in 1. dist. 22. vbi de hac re disseri-
tur. Vt enim q. præcedente artic. 1. 2. D. Thomas do-
cuit tria sunt prædicitorum genera, quæ, vel solo
lumine naturali ducti, cognoscere possumus Deo
conuenire. Primum est eorum, quæ ad causalitatem
Dei erga res creatas attinent. Secundum eorum,
quæ ad differentiam Dei à creaturis spectant. Ter-
tium perfectionum, quæ ex creaturis ipsis, effecti-
bus que

Disput. j.

A sunt intellecta, conspiciuntur, si ppter quoque eius vir-
tus & diuinitas. Quæ hoc loco dicunt poterant, dicta
sunt art. 4. & quæst. 2. art. 3. & 2. Metaphysicæ, ali-
quid præterea addemus quæst. 1. 3. sequenti.

ARTICVLVS XIII.

*Virum per gratiam habetur altior cognitio Dei,
quam ea, quæ habetur per rationem
naturalem.*

B EAT F I R M A T conclusio D. Thomæ. Ex
q[uod] cōquæ est satis manifesta, quod cognitio
de Deo, quæ est per lumen supernaturale
gratia ehebit ad eise supernaturale, & supponit ac
perficit cognitionem naturalem Dei, & insuper ex-
tendit cognitionem, quæ de Deo habet, ad ea ad
que non pertingit lumen naturale, utpote ad my-
sterium sanctissimæ Trinitatis, &c. Quare cum lu-
men supernaturale nobilitate sua multum supereret
lumen naturale, fit, vt cognitione de Deo per gratiam
altior excellentiorque sit cognitione naturali. Quod
ad modum tamen, quatenus scilicet id cognitionis,
cognitione vero naturalis de Deo eidens esse potest,
nullum est incommodum, quod cognitione naturalis
cognitionem supernaturalem exceedat, vt recte hoc
loco notat Caietanus.

QVÆSTIO XIII.

De nominibus Dei.

Q UONAM pacto quæstio hæc cum prece-
dentiibus cohæreat, initio 1. quæstionis ex-
planatum est. Illud vero animaduertendum
est, inter nomina, quæ Deo tribuantur, quædam
esse quæ ei conuenient, quatenus est Deus unus se-
cundum essentiam. Atque hæc magna ex parte fo-
lo lumine naturali cognosci possunt Deo conuenire.
Alia vero esse, quæ ei conuenient, quatenus
Trinus est in personis, vt quod sit Pater, quod ge-
neret Filium, &c. Atque hæc omnia supernaturali
reuelatione indigent, vt cognoscamus ea Deo con-
uenire. Solùm vero disserit D. Thomas hoc loco de
nominibus prioris generis: nondum enim, ad ex-
plicationem mysterij sanctissimæ Trinitatis accedit,
sed de Deo, quatenus Deus est, disserat.

DISPUTATIO I.

*De variis generibus nominum quæ Deo conne-
niunt, & virum in hac vita conceptum
absolutum simplicem ac proprium
Dei efformare possumus.*

EX dictis q. 2. in calce articuli 3. facile erit intel-
ligere tria esse nominum genera, quæ in signifi-
catione propria, hoc est, non translativa, Deo con-
uenient: id quod D. Thomas innuit articul. 2. se-
quenti, atque ex Dionysio de diuinis nominibus
tradunt Scholastici in 1. dist. 22. vbi de hac re disseri-
tur. Vt enim q. præcedente artic. 1. 2. D. Thomas do-
cuit tria sunt prædicitorum genera, quæ, vel solo
lumine naturali ducti, cognoscere possumus Deo
conuenire. Primum est eorum, quæ ad causalitatem
Dei erga res creatas attinent. Secundum eorum,
quæ ad differentiam Dei à creaturis spectant. Ter-
tium perfectionum, quæ ex creaturis ipsis, effecti-
bus que

Tria nominis
genera de
Deo dicuntur.